

cujus eorum in resurrectione erit uxor, deficiebant, et respondere non poterant. At vero Domino quando est proposita, quia nobis resurrectio talis promittitur, non qua repetantur hujusmodi voluptates, sed qua æterna de ipso Deo gaudia comparentur, respondit Dominus, et ait: « Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducunt: non enim incipient mori¹. » Id est, non ibi quaeritur successor, ubi non erit decessor. Et quid erit? « Sed erunt, inquit, æquales Angelis Dei. » Nisi forte putas, quod Angeli epulis quotidianis, et vino quo te inebrias, gaudeant, aut hoc forte arbitraris, quod Angeli uxores habeant. Nihil eorum est apud Angelos. Unde gaudent Angeli, nisi unde Dominus ait: « Nescitis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris²? » Si ergo ad faciem Patris gaudent Angeli, ad tale gaudium te præpara: aut si invenis melius quam videre faciem Dei. Væ tali amoris tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quam est ille a quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. Dominus in carne erat, et apparebat homo hominibus. Qualis apparebat? Jam dixi, homo hominibus. Quid magnum apparebat? Caro carni. Quid magnum apparebat, de quo dictum est, « Vidimus eum, » et non habebat speciem neque decorem³? » Quis non habebat speciem neque decorem; de quo item dicitur: « Speciosus forma præ filiis hominum⁴. » Ut homo, non habebat speciem neque decorem; sed speciosus forma ex eo quod est præ filiis hominum. Ideo formam illam deformem carnis ostendens oculis intuentium, quid ait? « Qui diligit me, mandata mea custodit, et qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et osten-

¹ Matth. xxii, 29, 30; et Luc. xx, 35, 36. — ² Matth. xviii, 10. — ³ Isai. liii, 2. — ⁴ Psal. xlii, 3.

dam illi me ipsum¹. » Quem videbant, ostensurum se illis promittebat. Sed quid est hoc? Quasi diceret: Videtis formam servi, occulta est forma Dei: per hanc vobis blandior, illam vobis servo: hæc vos parvulos nutrio, illa grandes pascio. Ergo ut hæc fides nostra qua purgamur, ad invisibilia præparetur, hoc est, quod in intellectum filii Core facta sunt ista omnia, ut detraherentur sanctis ea quæ habebant, detraheretur et ipsa vita temporalis: ut non propter hæc ipsa temporalia colerent ipsum æternum, sed amore illius casto tolerarent hæc omnia, quæ pro tempore paterentur.

XVII. Denique quia intellexerunt hoc filii Core, quid dicunt? « Hæc omnia venerunt super nos, et obliti non sumus te. » Quid est, « Et obliti non sumus te? Et inique non egimus in testamento tuo: et non recessit retro cor nostrum: et declinasti semitas nostras de via tua². » Ecce est intellectus, quia non recessit retro cor nostrum, quia obliti non sumus te, quia inique non egimus in testamento tuo, positi in magnis tribulationibus et persecutionibus gentium. « Declinasti semitas nostras de via tua. » Semitæ enim nostræ erant in voluptatibus sæculi; semitæ nostræ erant in prosperitatibus temporalium rerum: tulisti semitas nostras de via tua, et ostendisti nobis quam arcta et angusta via est, quæ ducit ad vitam. « Et declinasti semitas nostras de via tua? » Quid est: « Declinasti semitas nostras de via tua? » Tanquam diceret nobis: In tribulatione positi estis, multa patimini, multa quæ amabatis in hoc sæculo, amisistis: sed non vos dimisi in via, quam angustam vos doceo. Latas semitas quærebatis: quid vobis dico? Hæc itur ad vitam sempiternam: qua vultis ambulare, ad mortem pergitis. Quam lata et spatiosa via est quæ ducit ad interitum, et multi sunt qui ambu-

¹ Joan. xiv, 21. — ² Psal. xlii, 18, 19.

» lant per eam ! Quam arcta et angusta via est quæ ducit ad
» vitam, et pauci sunt qui ambulant per illam¹ ! » Qui
sunt pauci ? Qui tolerant tribulationes, qui tolerant ten-
tationes, qui in istis omnibus molestiis non deficiunt ; qui
non ad horam gaudent ad verbum, et in tempore tribu-
lationis tanquam orto sole arescunt², sed habent radicem
charitatis, sicut audivimus quod modo lectum est in Evan-
gelio³. Radicem, inquam, charitatis habe, ut cum sol
exortus fuerit, non te urat, sed nutriat. « Hæc omnia ve-
» nerunt super nos, et obliiti non sumus te ; et inique non
» egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nos-
» trum. » Sed quia hæc omnia inter tribulationes faci-
mus, jam in angusta via ambulantes, « Declinasti semitas
» nostras de via tua. »

XVIII. « Quoniam humiliasti nos in loco infirmitatis. »
Ergo exaltabis nos in loco fortitudinis. « Et operuit nos
» umbra mortis⁴. » Hæc enim mortalitas umbra mortis
est. Vera mors est damnatio cum diabolo.

XIX. « Si obliiti sumus nomen Dei nostri. » Iste est in-
tellectus filiorum Core. « Et si expandimus manus nostras
» ad Deum alienum⁵. »

XX. « Nonne Deus requiret ista ? Ipse enim novit oc-
» culta cordis⁶. » Novit et requirit : si novit occulta cor-
dis, quid ibi facit ? « Nonne Deus requiret ista ? » Novit
in se, requirit propter nos. Etenim ideo requirit Deus ali-
quando, et dicit sibi innotescere, quod facit tibi innotes-
cere. Opus suum tibi dicit, non cognitionem suam. Dici-
mus plerumque : Lætus dies quando serenus est : numquid
ipse dies gaudet ? Sed gaudentem dicimus, quia gaudentes
nos facit. Et dicimus : Triste cœlum. Non enim est ullus talis
sensus in nubibus : sed quia homines hujusmodi videntes
cœli faciem contristantur, triste dicitur, eo quod tristes

¹ Matth. vii, 13, 14. — ² Id. xiii, 20-23. — ³ Marc. iv, 16, 17, 20 ; et
Luc. viii, 13-15. — ⁴ Psal. xliii, 20. — ⁵ Ibid. 21. — ⁶ Ibid. 22.

facit. Sic et Deus cognoscere dicitur, quando cognoscentes
facit. Deus dicit ad Abraham : « Nunc cognovi quia tu times
» Deum¹. » Ante non cognoverat ? Sed ipse Abraham se non
cognovit : quia in ipsa tentatione ipse sibi innotuit. Plerum-
que enim homo putat se posse quod non potest, aut putat
se non posse quod potest : accedit ad illum interrogatio ex
divina dispensatione, et per interrogationem notus fit sibi :
et dicitur Deus cognovisse, quod illum fecit nosse. Num-
quid Petrus noverat se, quando dixit medico : « Tecum
» sum usque ad mortem². » Medicus noverat vena ins-
pecta quid intus ageretur in ægroto, ægrotus non noverat.
Venit accessio tentationis ; et probavit medicus senten-
tiam suam, perdidit æger præsumptionem suam. Sic ergo
et novit Deus, et requirit. Novit quomodo ipse requirit ?
Propter te, ut tu invenias te, et gratias agas ei qui fecit
te. « Nonne Deus requiret ista ? »

XXI. « Ipse enim novit occulta cordis. » Quid est,
« Novit occulta ? » quæ occulta ? « Quoniam propter te
» mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occi-
» sionis³. » Potes enim videre mortificari hominem ; quare
mortificetur, nescis : Deus hoc novit ; res in occulto est.
Sed dicit mihi aliquis : Ecce pro nomine Christi detine-
tur, nomen Christi confitetur. Quare non et hæretici nomen
Christi confitentur, et non tamen jam propter ipsum mo-
riuntur ? Prorsus in ipsa Ecclesia, dicam, catholica, pu-
tatis defuisse aut deesse posse, qui causa humanæ gloriæ
paterentur ? Si deessent hujusmodi homines, non diceret
Apostolus : « Si tradidero corpus meum ut ardeam, cha-
» ritatem autem non habeam, nihil mihi prodest⁴. » Scie-
bat ergo esse posse quosdam, qui hoc jactatione facerent,

¹ Gen. xxii, 12. — ² Matth. xxvi, 35. — ³ Psal. xliii, 22. — ⁴ I Cor.
xiii, 3.

non dilectione. Ideo obscurum est, Deus hoc solus videt, nos non possumus. Ipse solus potest judicare, qui novit occulta cordis. « Quoniam propter te mortificamur tota » die, deputati sumus velut oves occisionis. » Jam dixi hinc etiam apostolum Paulum testimonium posuisse ad exhortandos Martyres, ne deficerent in tribulationibus pro nomine Christi susceptis.

XXII. « Exurge, quare obdormis, Domine¹? » Cui dicit? et quis dicit? Nonne magis dicitur ille dormire, et hylare, qui talia loquitur, « Exurge, quare dormis, Domine? » Respondet tibi: Novi quid dicam: scio quia non dormit qui custodit Israël²: sed tamen Martyres clamant, « Exurge, quare obdormis, Domine? » O Domine Jesu, occisus es, dormisti in passione, jam nobis resurrexisti. Novimus enim quia nobis resurrexisti. Quare resurrexisti? Gentes quæ nos persequuntur, mortuum te putant, resurrexisse non credunt. Exurge ergo et illis. Quare dormis, non nobis, sed illis? Si enim jam te illi crederent resurrexisse, numquid eos qui in te crederent persequi poterant? Sed quare persequuntur? Dele, occide nescio quos, qui crediderunt in te nescio quem male mortuum? Adhuc eis dormis: exurge ut intelligant quia resurrexisti, et quiescant. Denique factum est dum moriuntur Martyres, et ista dicunt, dormiunt, et excitant Christum vere mortuum dormitionibus eorum; surrexit Christus quodam modo in gentibus, id est, creditus est resurrexisse: ita paulatim et ipsi credendo conversi ad Christum, fecerunt numerum magnum, quem timerent persecutores, et cessaverunt persecutiones. Unde? Quia resurrexit Christus in gentibus, qui illis ante non credentibus dormiebat. « Exurge, et ne repellas usque in finem. »

XXIII. « Quare faciem tuam avertis? » quasi non adsis,

¹ Psal. XLIII, 23. — ² Id. cxx, 4.

quasi oblitus sis nostri. « Oblivisceris inopiam nostram, et » tribulationem nostram¹. »

XXIV. « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra². » Ubi humiliata est? In pulvere, id est, pulvis nos persequitur. Illi nos persequuntur, de quibus dixisti: « Non sic » impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ³. Humiliata est in pulvere anima nostra; hæsit in terra venter noster. » Pœnam nimie humiliationis mihi videtur expressisse, qua quisque quando se prosternit, hæret in terra venter ejus. Quisquis enim ita humiliatur ut genua figat, adhuc habet quo humilietur: quisquis autem sic humiliatur ut hæreat in terra venter ejus, ultra quo humilietur non habet. Si enim ultra voluerit, jam non erit humiliare, sed obruere. Hoc ergo forsitan dixerit: Nimum humiliati sumus in hoc pulvere, ultra quo humiliemur non habemus: jam pervenit usque ad summum humiliatio, veniat et miseratio.

XXV. An forte, fratres, eos plangit Ecclesia voce ista, quibus illi qui persequabantur persuaserunt impietatem: ut illi qui perdurarunt hoc dicant: « Humiliata est in pulvere » vera anima nostra? » Id est, inter manus pulveris hujus, inter manus impiorum et persequentium, « Humiliata est » in pulvere anima nostra, » ad hoc ut te invocemus, ut dares auxilium de tribulatione: « Venter autem noster » hæsit in terra, » id est, consensit impietati pulveris hujus venter noster: hoc est enim dictum, « Hæsit. » Si enim cum diligis et ardes charitate, recte dicis Deo: « Adhæsit » anima mea post te⁴; » et « Mihi adhærere Deo bonum » est⁵: » tunc autem adhæres Deo, quando consentis Deo: non sine causa dictum est, de ventre isto quod adhæsit in terra, nisi quia illi significantur, qui persecutio-

¹ Psal. XLIII, 24. — ² Ibid. 25. — ³ Id. I, 4. — ⁴ Id. LXXII, 9. — ⁵ Id. LXXII, 28.

nem non tolerantes, consenserunt iniquis: sic enim hæserunt in terra. Sed quare dicti sunt venter, nisi quia carnales sunt: ut os Ecclesiæ in sanctis sit, in spiritalibus sit; venter Ecclesiæ in carnalibus sit? Itaque os Ecclesiæ eminent; venter absconditus est, tanquam mollior et infirmior. Hoc significat quodam loco Scriptura, ubi quidam dicit se accepisse librum; « Et liber ipse dulcis erat, inquit, in ore meo, et amarus in ventre meo¹. » Quid est hoc, nisi quia præcepta summa quæ capiunt spiritalia, non capiunt carnales; et de quibus gaudent spiritalia, contristantur carnales? Liber iste, fratres, quid habet? Vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Quam dulcis in ore Ecclesiæ? Ab omnibus spiritalibus factum est. At vero carnali cuicumque dixeris: « Fac hoc: » facilius a te tristis recedit, sicut ille dives a Domino², quam facit quod dictum est. Quare autem tristis recessit, nisi quia liber ille dulcis est in ore, et in ventre amarus? Dedisti nescio quid auri et argenti; ventum est ad hunc articulum, ut nisi perdas, forte aliquod peccatum committas, injuriam forte ingeras Ecclesiæ, blasphemare cogaris: posito itaque in angustiis, aut damno pecuniæ, aut damno justitiæ, dicitur tibi: Perde potius pecuniam, ne perdas justitiam: tu autem cui non dulcis est in ore justitia, sed adhuc in illis membris infirmus es, quales in ventre deputat Ecclesia; contristatus eligis aliquando amittere aliquid de justitia, quam vel nummum de pecunia, et percute te damno graviore, implens saccellum tuum, et exinaniens cor tuum. Fortassis ergo de illis dixerit: « Hæsit in terra venter » noster. »

XXVI. « Exurge, Domine, adjuva nos³. » Et vere, charissimi, exurrexit et adjuvit. Namque cum exurgeret,

¹ Apoc. x, 10. — ² Subaud. cui dictum est: *Vende omnia*, etc. — ³ Psal. XLIII, 26.

id est, cum resurgeret, et gentibus innotesceret, cessantibus persecutionibus, etiam illi qui hæserant in terra, eruti sunt de terra, et agentes pœnitentiam redditi sunt corpori Christi, quamvis infirmi, quamvis imperfecti, ut compleretur in eis: « Imperfectum meum viderunt oculi » tui, et in libro tuo omnes scribentur¹. Exurge, Domine, » adjuva nos: et redime nos propter nomen tuum: » hoc est, gratis; propter nomen tuum, non propter meritum meum; quia tu dignatus es facere, non quia ego dignus sum cui facias. Nam et hoc ipsum quod non sumus obliti te, et non recessit retro cor nostrum, quod non expandimus manus nostras ad Deum alienum, nisi te adjuvante unde possemus? nisi te intus alloquente et exhortante, non deserente, unde valeremus? Ergo sive patientes in tribulationibus, sive gaudentes in prosperitatibus, redime nos; non propter meritum nostrum, sed propter nomen tuum.

ENARRATIO

IN PSALMUM XLIV (13).

Sermo ad plebem Carthaginensem.

Hunc² Psalmum sicut vobiscum cum exultatione cantavimus, ita nobiscum cum attentione consideretis peto. Cantatur enim de sanctis nuptiis, de sponso et sponsa, de rege et plebe, de Salvatore et de his qui salvandi sunt. Qui cum veste nuptiali venit ad nuptias³, gloriam quærens

¹ Psal. cxxxviii, 16. — ² Vide D. Guillon, tom. XXI, pag. 483-485. — ³ Matth. xxii, 11.